



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXLII. De efficacia quinque vulnerum Christi crucifixi ad impetrandam gratiam divinam, & tandem æternam salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXLII.

De efficacia SS. 5. Vulnerum Christi ad
impetrandam gratiam divinam & æternam
salutem.

Ostendit eis manus & latus. Gavisi sunt ergo discipuli.
Jo. 20. 20.

I.

Abigail prudentissima mulier, ut iratum placaret Davidem, præter alia munera ei *quinque arietes coctos, & quinque sata polenta* obtulit, rogans eum impensissimè, ut domui suæ ac familiæ parceret, & non funditus deleret, quam gratiam & suâ blandiloquentiâ ac munificentiâ impetravit: *Suscepit ergo David de manu ejus omnia, quæ attulerat, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam &c. Umbram habes.* 1. Reg. 25. 28.

Incarinata Dei Sapiencia ad placandum æternum Patrem humano generi ob perpetrata delicta infensum, velut altera Abigail, Patri hic in terra obtulit, & etiamnum in cœlo offert quinque Sacratissima Vulnera, in quinque illis arietibus & quinque sata polenta præfigurata. Hinc merito Mellistius valorem intercessionis Beatissimæ Virginis Matris, ac SS. Vulnerum Filii ejus considerans, securam spem peccatori pollicetur pro impetranda delictorum remissione, & gratia ac gloria apud cœlestem Patrem obtinenda, unde dixit & scripsit: *Securum habes accessum homo ad Deum, ubi Mater ante Filium, Filius ante Patrem: Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius Patri latus & vulnera. Non poterit esse repulsa, ubi tot sunt insignia charitatis.* S. Bernhard. v. de Laud. & Arnold.

2. Ezechias Rex in Israel contra assultum Sennacherib Regis Assyriorum omnes fontes extra urbem Jerusalem, ipsumque rivum obturari fecit: *Congregavit plurimam multitudinem, & obturaverunt cunctos fontes, & rivum, qui fluebat in medio terra, dicentes: Ne veniant Reges Assyriorum, & invenient aquarum abundantiam. Plus invenies in SS. Vulneribus JESU Christi Crucifixi, fontes enim isti obstrui, & obturari non possunt, ubi*

ubi semper, præsertim in divinissimo Corde Jesu & laterali Vulnere invenies aquarum & gratiarum abundantiam; Fons enim est vite, fons hortorum, fons signatus, patens omnibus in domo David, & in Ecclesia Dei in ablutionem peccatoris; unde S. Cyprianus de Passione ait: *De latere Christi fons egreditur in vitam æternam, & non in mortem; ex hoc fonte perennes effluunt rivi misericordiarum, & totius pietatis effectus: Et quis non currat ad hunc fontem?*

S. Cyprian.
de Pass.

3. Bethulia civitas propter obstructos ab Holoferne fontes proxima ruinæ & captivitati fuit, quam sanè non evasisset, nisi benignus DEUS alio modo huic urbi & civibus providisset: Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit, quod fons, qui insuebat, aquaductum illorum à parte australi extra civitatem dirigeret; Et incidi præcepit aquaductum illorum, Sanctissima Vulnere Jesu, ex quibus fons aquæ vivæ promanat in universum terrarum orbem, excidi non possunt, quia Christus in glorioso suo corpore illa perpetuò conservabit ad bonorum consolationem, ut docet Angelicus. O felix igitur Catholica nostra Ecclesia ob semper apertos hos quinque gratiarum fontes! O felix Ecclesia? quod non obscure prævidit Propheta Evangelicus, dum prædixit: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: Haurietis aquas in gaudis de fontibus Salvatoris.*

Judith. 7. 6.

D. Tho. 3. p.

q. 54. art. 4.
ad 3.

Isa. 12. 2.

Gen. 4. 10.

Hcbr. 12. 24.

S. Ambros. in

Psal. 37. 7.

Histor. Schol.

ApoC. 1. 5.

1. Cor. 6. 22.

Ezech. 2. 9.

4. Vulnere & sanguis justi Abel contra Cain impium fratricidam clamant vindictam: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* O quam melius clamant Vulnere & sanguis Christi Jesu Crucifixi non vindictam, sed misericordiam, non perditionem sed gratiam, non penam æternam, sed peccatorum remissionem: *Nontabes*, ait S. Ambrosius, *de Vulnere ejus, sed fons vitæ scaturivit.*

Antipater Idumæus Cæsari Romanorum Imperatori in variis bellis semper fidelissimus extitit; ab æmulis accusatus, & calumniatus de infidelitate, in præsentia Cæsaris, rejectis vestibus, sua vulnere & cicatrices toto corpore ostendit, dicens: *Ego, Cæsar, nolo me, verbis apud te excusare, sed ista vulnere, qua suscepi pro te, loquantur pro me, si ego diligo te.* O quanto magis loquuntur SS. Vulnere Christi pro nobis apud Patrem! quod considerans S. Joannes dixit: *Dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo.* Super quæ verba S. Bernhardus: *In quo illuxit clarius, quid nos dilexerit Dominus, quam in sacris suis Vulnerebus? O Amor! ô Amor! & istum amorem nondum amamus? Proinde non immeritò dixit S. Paulus Apostolus: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

5. Ezechiel Propheta mirabilem quendam librum vidit à manu divina submissum, & scriptum intus & foris, scripta autem erant in eo læmç.

lamentatione, carmen & vix, quod volumen ubi ex divino mandato degustavit: *Factum est in ore ejus sicut mel dulce.* Bone DEus! qualis fuit ille liber amarus & dulcis? R. S. Hieronymus, S. Bernhardus & alii: ^{S. Hieron. Ep. de vera Circumcis.} Liber iste Christum & hunc crucifixum præsignavit; amarus quidem ex primo aspectu est iste divinus liber, sed dulcis, si illum per devotam meditationem degustamus; Scriptus est intus & foris, foris per SS. & cruenta Vulnera intus per immensum amorem, quo nos diligit. Et sicut in quolibet libro sunt quinque Vocales, quibus dictio & oratio efformatur A. E. I. O. U. ita & in hoc divino libro & cœlesti Alphabeto sunt quinque Vocales, quinque videlicet SS. Vulnera Jesu, quos sic interpretor: A. quia sunt Asylum omnibus in illis sperantibus. E. Quia sunt Epistola Credentis ad Patrem cœlestem. I. Quia sunt Indulgentiæ plenariæ pro peccatis nostris. O. Quia sunt Oïtia cœli & vitæ æternæ. U. Quia sunt Ulbera, quibus lactamur, & nutrimur, præsertim dum ad SS. Eucharistiam bene parati accedimus.

6. Marcus Tullius Cicero, Consul Romanus & Orator eloquentissimus, ubi advertit, quod Aquileus Antonius ab æmulis aquæ Imperatorem & senatum Romanum perperam fuerit accusatus, & nunc de illius ageretur condemnatione, in publica & gravissima oratione dicto Aquileo nunc ut reo stanti coram judicio pectus aperuit, & singula vulnera pro republica suscepta Patribus conscriptis ostendit, ad quorum conspectum mitior sententia secuta est, & Aquileus in libertatem assertus. ^{Cicero orat. in Ver. cœlo.}

Christus Dominus non cicatrices tantum, sed & ipsa Sacratissima sua, Vulnera in suo corpore reliquit, quoniam noverat nihil facilius posse veniam apud cœlestem Patrem nobis miseris obtinere peccatoribus, quam offensæ hæc SS. Vulnera pro illius gloria & nostra salute suscepta; Sunt enim efficacissimum medium ad omnes gratias à Deo impetrandas, quam veritatem ipse nos docuit, dum discipulis suis insinuavit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc est, propter me, & dabit vobis.* Et hoc medium orandi familiarissimum fuit S. Francisco Xaverio Indiarum Apostolo, qui identidem inter tot decumanos labores hæc orabat collectam: *Domine Jesu Christe, DEus cordis mei, per quinque illa Vulnera, quæ tibi in cruce amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* ^{Jo. 16. 23.}

7. Solent Respublicæ ac Principes terræ sua habere æraria, in quibus tempore pacis suos reponunt thesauros, ut, cum bellum aut alia ingruit necessitas, bono publico possint succurrere. Ita fecit Sixtus V. P. M. qui immensum auri pondus Romæ in castello S. Angeli pro Ecclesiæ bono reservari voluit.

Gmther Unus pro omnibus.

Yyy

Æra-

1. Pet. 1. 18.

S. August. in
Manual.


Vira. & Hadr.

Lyr. de Chr.

Pat. lib. 5 c. 7

Araria nostra sunt 5. SS. Vulnera Christi, ex quibus pretium accipere possumus, quo aeterno Patri pro debitis nostris usque ad ultimum quadrantem satisfaciamus: *Non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis: Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* O thesaurum infinitum, thesaurum incomparabilem, thesaurum nunquam exhauriendum: *Quidquid mihi deest, ait S. Augustinus, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per qua effluunt.* Et quis, obsecro, ad hæc SS. Vulnera non accedat?

8. Hanc veritatem experta est Venerabilis Anna à S. Bartholomæo ex nobilissima prosapia oriunda, quæ, cum à Matre & fororibus ad saltum abduceretur, & nunc à juvene æquè nobili ad tripudium invitaretur, prius oculos ad cælum levavit, viditque super caput suum adstantem Dominum Jesum manibus ac pedibus & latere vulneratum, multoque fluentem sanguine, qui illam compellans: *Vide, inquit, filia quam graviter me afficiat sociarum tuarum levitas, in quam te insinuas.* Quo viso, & audito sine mora periculosam reliquit societatem, ac mundo valedicens, elegit sibi tutiorem salutis portum, videlicet monasterium S. Theresiæ V. cujus exinde in vita focia fuit, & zelosissima 5. SS. Vulnerum cultrix, unde & sanctimonix laude multisque prodigiis claruit. En habes Exemplum de cultu SS. Vulnerum. Imitare.



CONSIDERATIO CXLIII.

Christus Crucifixus est vera idea, exemplar & fortitudo Sanctorum Martyrum.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. 40.

i.

Sep. 10. 18.

MOyses Hebræorum Dux ac Legifer prodigiosâ suâ instructus virgâ, populum Israeliticum ex servitute Pharaonis eductum, per mare rubrum sicco pede feliciter in Palæstinam ac terram desiderabilem traduxit: *Transtulit illos per mare rubrum*